

reverenda in senibus, et veneranda in sacerdotibus, terribilis in bellatoribus, decora in adolescentibus, dulcis in pueris.

VII. Vidimus doctorum scholas, sapientiumque conventum; capillamentum esse Ecclesiæ, cæsariemque reipublicæ. Videamus quanto ampliori præconio ex sacri eloquii fontibus illorum dignitas cæteris adhuc ministeriis præferatur, nimirum litterarum scholas, liberaliumque disciplinarum gymnasia, turres in Scriptura vocari non absurdo interpretandi genere cum plerisque existimare debemus. Insignis est locus ille Canticorum iv, ubi illud toties decantatum, et admiraculum usque laudatum sponsæ collum comparatur turri: *Sicut turris*, inquit, *David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis*. Quod loco nomen illud cum propugnaculis Hebraice dicunt, in talpioth, quod nomen etiam ab Ambrosio Latino stylo usurpatum: « Quæ ædificata est, inquit, in talpio. » Significat autem talpioth Hebraice, idem quod disciplina, et ita Hebraica habent exemplaria: Quæ ædificata est ad disciplinas. Pagninus: Quæ ædificata est ad docendum transeuntes. Vatablus: Quæ ædificata est ad usum dirigendi homines. Quod totum scholis, universitatibusque convenire nulli dubium est. Turres ergo scholas vocat Scriptura, cœtusque doctorum. Quod non obscure paraphrasis Chaldaica expressit, dum locum istum Canticorum amplificans ad illa verba: *Sicut turris David collum tuum*, hæc apponit: « Et princeps scholæ, qui erat magister tuus fortis in justitia, et magister operum bonorum, sicut David rex Israel, et per verbum oris ejus ædificatum est sæculum. » Quibus verbis ita interpretatio nostra commendata est, ut nihil possit significatius exprimi, cum id ipsum quod nomi-

n turris David cum propugnaculis ædificata, vulgata habet editio, ipsa paraphrasis, scholæ principem nominet, magistrumque bonorum operum, ac proinde turrim scholam significare, doctorumque academiam, dubitari non potest.

VIII. Adjungam et alterum non minus firmum ex Isaia testimonium capite xxxiii, ubi loquens propheta de evacuatione vanæ, terrestrisque sapientiæ a Deo facienda: *Ubi*, inquit, *nunc est litteratus? Ubi legis verbo ponderans? Ubi doctor parvulorum?* Illud autem verbum doctor parvulorum, expresse sic habet textus Hebræus, ut videri potest in bibliis regiis, ubi numerans, seu numerator turrium, quasi idem sit doctor parvulorum, seu adolescentis disciplinis erudiens, atque in turribus docens, id est, in gymnasiis, et scholis, ubi adolescenter erudiuntur, et quasi parvuli nutriuntur ubere doctrinæ. Quod attendentes septuaginta, ut habet Hieronymus ad istum locum Isaia, vertunt ubi numerans nutrientes parvum, et magnum? Doctores enim in scholis hoc præstant ministerium reipublicæ, ut sint nutritii parvi, et magni, lac ministrantes parvulis, et rudioribus, cibum solidum majoribus, et perfectis, et juxta Debboræ vaticinium in cantico Judicum v: *Aquam petenti lac dedit, et in phiala principum obtulit butyrum*. Adhuc petentibus escam, utpote parvulis, lac porrigunt, inquirentibus autem, et suo jam studio nitentibus quasi in phiala principum solidum cibum, id est, butyrum meditationis offerunt dentibus ruminandum. Sunt ergo doctores parvulorum, seu numeratores turrium, nutrientes parvum, et magnum lacte, solidoque cibo pascentes, ut ex hoc jam nobis innotescat difficilis illa comparatio in verbis Sponsæ, Cant. viii: *Ego murus, et ubera mea sicut*

turris. Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Ex adducta enim intelligentia clare datur intelligi Ecclesiæ ubera ideo dici turres, quia in scholis, universitatibusque, quæ turrium nomine designantur, cœtus est, congregatioque doctorum, ubi Ecclesiæ ubera doctrinæ lacte erudiunt, nutriuntque parvulos, imo et fideles omnes in fide confirmant. Ubra enim, ut inquit D. Thomas Canticorum vii, sunt qui alios nutrire possunt spirituali doctrina, sed et ubera ista facta sunt sicut turres, non ab initio: *Sed ex quo*, inquit, *facta sum coram eo pacem reperiens*. Ex quo videlicet persecutionis furor deferuit, a tempore Constantini, ut notat Lyra super istum locum, et optime D. Thomas opuse. xix, cap. iii. Loquens expresse de scholis, collegioque magistrorum in universitatibus, eorum congregationes comparat congregationibus episcoporum in Conciliis, quæ solum permissæ sunt post tempora persecutionis: « In decretis, inquit D. Thomas, dist. xv, capite Canones dicitur: Quod a temporibus Constantini Concilia incepterunt, in præcedentibus namque annis persecutione fervente, docendarum plebium minime dabatur facultas, inde christianitas in diversas hæreses scissa est, quia non erat episcopis licentia conveniendi in unum, etc. » Quod non est sic intelligendum quasi ante tempora Constantini nulla fuerint Concilia, sed quod valde rara, et quasi furtive potius, quam pro dignitate permissa.

IX. Patet ergo quod ex hoc tempore ex quo Ecclesia facta est quasi pacem reperiens, persecutionis cessante rabie, ex tunc ubera ejus facta sunt sicut turres, cum docendarum plebium tot erectæ sunt academiæ, tot scholæ fundatæ, quæ quasi turres reddunt sponsæ ubera, unde doc-

trinæ nutrimentum omnibus irroratur. Quare ad illud quod legitur ii Paralip. xvii de rege Josaphat, quod crevit, et magnificatus est in sublime, ædificavitque domos ad instar turrium, ad hanc intelligentiam non absurde pertinere videtur, cum enim de ipso præmiserit Scriptura, quod Josaphat misit de principibus suis ut docerent in civitatibus Juda, docebantque, inquit, populum in Juda habentes librum legis Domini, et circuibant cunctas urbes Juda, atque erudiebant populum, non incongrue intelligimus ex ipsa serie textus, concatenationeque verborum, turres ædificatas, seu domos ad instar turrium ad hoc pertinuisse, quia populum erudiri curavit per principes suos, per levitas, et per sacerdotes, quorum domos instar turrium esse non dubitamus, quæ scholarum officio, magisterioque fungebantur. De quo et illud i Paralipom. xxvi aliqualiter extat vestigium, ubi dicitur: « Quod Israelitis præerat Chonenias, et filii ejus ad opera forinsecus super Israel ad docendum, et judicandum eos. » Quod Nicolaus de Lyra expendit, quod aliqui de levitis scientes legem, ordinati sunt ad docendum populos in locis distantibus ab Jerusalem, et ad determinandum dubia in quibus simplices dubitabant. Fuit ergo etiam tunc in lege provisiva forma, dispositioque academiæ, et scholarum, in quibus dignitas, jusque doctorum sic eminebat, ut quasi reipublicæ turres, tam quoad excellentiam, quam quoad fortitudinem, munimentumque omnium, dicerentur.

X. Nonne videtis (præclarissimi auditores) quid divina oracula de sapientum scholis, de doctorum academiis de cernunt? Quantum eorum ministerio censent deferendum? Qua amplitudine in republica collocari debent? Qua veneratione

eorum decreta suscipienda sunt, quibus non uno tantum mysterio, non una tantum metaphora, ac circumlocutione designandis, amplificandis, commendandisque totus desudat Scripturarum apparatus? Et ne sacris tantum insistamus, quanto ardore gentium antiquitas, vel ipso naturæ ductu rem hanc illustravit, promovit, observavit? Nihil illis antiquius, quam ut forma reipublicæ a litterarum scholis datorem, amplitudinemque susciperet, ab illis stabilitatem, firmitatemque regnorum postulantes. Domestica tantum exempla, quia abunde suppetunt, proferamus, nam ut optime Latinus Pacatus in panegyrico Theodosio Augusto dicto, de Hispania, annotavit, uni Hispaniæ quidquid ubique laudatur, assurgit; hæc durissimos milites, hæc expertissimos duces, hæc facundissimos oratores, hæc clarissimos vates parit, hæc iudicum mater, hæc principum est, nulla in toto orbe provinciæ Hispania nostra felicior in hac parte fuit, quæ donec externis bellis conquassata, et a Phœnicibus, Tyriis, Pœnis, Romanisque quasi ad prædam petita contabuit, litterarum studia non remisit, quæ longis, diuturnisque sæculis, vel ab ipsis antiquissimis regibus aliam pacem, firmamque, ac stabilem gubernationis formam observaverat. A Strabone memoriæ proditum est, indeque a pluribus Hispanis scriptoribus usurpatum sapientissimos quondam Hispanorum Turduli, in Bœtica provinciâ ostendisse Cæsari leges a sex millibus annorum conservatas, quæ cum ostensæ fuerint eo tempore, quo Cæsar debellatis Pompei filiis nobili apud Mundum victoria illustratus est, subiit animum leges istas ab ipso Tubale fluxisse, qui duobus retro annorum millibus ante Cæsarem Hispaniæ jura fundaverat. Sunt enim illa sex annorum millia a

Strabone memorata, supputatione quatuor mensium in quolibet anno numeranda, qua mensura annorum utitur Xenophon in æquivocis, unde Strabo desumpsit, proindeque sex annorum millia, duo millia ex nostris communibus conficiunt.

XI. Quare autem studia cum hac legum antiquitate in Hispania flourerint, vix dicam, solum poesis memoria a Strabone ex tanta temporum annositate eruitur, cum octingentis annis ante Hesiodum, et Homeram, Græcorum antiquissimos poetas in Hispania extitisse narrat, quorum poemata venerandæ antiquitatis ad Augusti tempora pervenerunt. Poetas autem illo antiquissimo sæculo vocatos sapientes, seu theologos, qui divinarum rerum contemplationem carminibus adumbrabant, auctor est Aristoteles primo metaphysicæ, quem ibidem explanat S. Thomas lect. iv: « Sciendum, inquit, est, quod apud Græcos primi famosi in scientia fuerunt quidam poetae theologici, sic dicti, quia de divinis carmina faciebant, fuerunt autem tres, Orpheus, Musæus, et Linus, quorum Orpheus famosior fuit, fuerunt autem eo tempore quo iudices erant in populo Judæorum. » Hæc S. Thomas.

XII. Hos ergo ita antiquos poetas, id est, theologiæ deditos, Hispania nostra superavit, et antiquitatis palmam eripuit, nam Hesiodum ante philosophorum tempora fuisse, et in numero poetarum theologizantium numerandum, idem sanctus doctor asserit eodem loco lectione decima in fine. Si ergo octingentis annis ante Hesiodum florebat in Hispania litteræ, et poetarum nomine theologica carmina pungebantur, manifestum est, inter sapientum cœtum, Hispaniæ litteras, scholasque etiam ipsis antiquissimis Græcorum præluxisse; illis ergo tam diuturna, firmaque Hispaniæ reipublicæ gubernatio,

jure optimo tribuenda est, qui per sapientes litteratosque viros, tam studiose, leges, et antiquitatis primæ monumenta servabant. De Gotthis, non leve est quod narrat Rodericus Toletanus antistes libro primo de rebus Hispaniæ, capite xv, quod Gotthi, quo tempore Sylla Romæ principatum tenebat, a quodam Dicinæo docti sunt philosophiam, physicam, theoreticam, practicam, logicam, etc. Gotthi autem hoc commodum, hoc salubre, hoc agendum in agendis, et in iudiciis iudicabant, quod Dicinæus illorum consiliarius approbat; inde elegit nobiliores, et prudentiores, fecitque sacerdotes, quos ad theologiam instituens, vocavit speciali nomine Pitæatos, et tiaris capita palliabant usque adeo, et apud barbaros, aggres tesque tunc Gothorum genus obtinuerunt litteræ jura principatus, et dominandi potestate in republica potiebantur, ut jam mirandum non sit quod de suis Athenis dixit Alexander, Athenas regni sui esse theatrum, ut refert Nazianzenus epistola cxi scribens Eustochiosophistæ; hoc videlicet existimans magnus imperator, nihil tam illustre in republica sua, nec theatrum dignum prodire posse in publicum, quod cum Athenarum scholis posset comparari, vel quod ab illarum examine, doctrinaque approbatum non esset.

XIII. Exceptit Alexandri sententiam etiam in Hispania Sertorii magni, quondam Romanorum ducis iudicium, qui, referente Plutarcho, ex quo Ludovicus Nonnius in sua Hispania capite lxxxiii in Osea (nunc vocatur Huesca) fundavit academiam, quo nobilissimos Hispaniæ adolescentes eruditionis causa vocavit, re ipsa ut obsides haberet erudiendi prætextu, quos cum maturisset ætas in partem administrationis, et imperii esset admissurus.

Hic fuit Sertorio instituendæ academiæ finis, ut inde respublica moderatores accepisset, imperiique consortes, vere existimans regni theatrum scholas esse, nec aliter posse publica jura, nisi per scholarum oculos lucem aspicere. Notum est in Romana historia, quo loco, et dignitate flamines sint habiti in ministerio, jureque sacrorum, et sacerdotali scientia, inde jam a Numa Pompilio instituti, in quibus adeo scientiæ, ingeniique acumen commendabatur, ut ob hoc fabarum esu sint prohibiti, ut Varro docet, et ex eo Plinius lib. xviii, cap. xii eo quod faba apud Pythagoricos, hebetes sensus facere dicebatur, lugubreque aliquid, et mortis simile præsentare. Amplissimum hoc sacerdotalis scientiæ munus in Hispania avide arreptum est, usque adeo ut feminis non solum municipia, sed integræ provinciæ ad hujusmodi ministerium concederentur. De Cordubensi Flaminica meminit Ambrosius Morales in bello suo de Corduba. Resendius libro iv antiquitatum, inscriptionem antiquam refert, qua Flavia Rufina Flaminica totius provinciæ Lusitaniæ memoratur in Jovis fano antiquissimo Lusitaniæ templo, labentibus postea sæculis feliciori forte in sanctorum Justi, et Pastoris ecclesiam commutato, apud terrarum oppidum prope territorium Eborense, ubi in antiquo cippo marmoreo sanctorum Justi, et Pastoris nomine consecratum ædificium inscribitur, consummatumque era septingentesima vigesima, hoc est, anno Christi 682. Quod tanto nunc suavius meminisse juvat, quo præsentium temporum decus, et ornamentum, Complutensem hanc nostram academiam eorumdem sanctorum martyrum Justi, et Pastoris celeberrimo templo insignem omnium litterarum luce toti orbi radiare conspicimus, sicut

illud quondam Jovis fanum Flaminicarum Lusitaniæ nobilissimam sedem in ipsorum beatissimorum martyrum legimus aliquando permutatum.

XIV. Longum nimis esset, ac tædio propinquum per antiquissima retro sæcula regnorum spatia decurrere, lustrare provincias, in quibus summum reipublicæ jus litterarum scholæ vindicarunt, qua nempe majestate, et splendoris gloria apud Assyrios Chaldæi habiti fuerint, apud Ægyptios prophetæ et sacerdotes, apud Persas magi, apud Indos gymnosophistæ, apud Gallos Drusidæ, apud Bactrianos Sammanæi, apud Athenienses Areopagitæ, apud Hebræos Esseni; apud Romanos augures, flamines, pontifices, cæteraque antiquorum sapientum nomina, quibus fundata sunt regna, stabilitæ monarchiæ, humanarum rerum pondera sustentata, et ad reipublicæ firmitatem summo semper jure præditi, nec violari, infringique eorum decreta, aut contemni permissa, nisi cum ad interitum, concissionemque inclinarent imperia, nec enim aliud est quod perennitatem, ævique longitudinem labenti fortunæ designat, quam consilii, sapientiæque vis, quæ e scholarum scaturigine, quasi ex divite metalli fodina multo facilius reipublicam beat, locupletatque, quam immensæ thesaurorum opes e terræ visceribus, tanta anxietate, ac multiplici cura in lucem depuratæ. Pulchre Ambrosius II officiorum, cap. xv: « Quanto, inquit, utilius regem Pharaonem sanctus Joseph consilio providentiæ juvit, quam si contulisset pecuniam. Pecunia enim unius civitatis non redemit ubertatem, prospicientia totius Ægypti per quinquennium famem depulit. Facile autem pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciunt. Hæc usu augentur, pecunia minuitur, et

cito deficit, atque ipsam destituit benignitatem, ut quo pluribus largiri volueris, eo pauciores adjuves, et sæpe tibi desit quod aliis conferendum putaveris. Consilii autem, operisque collatio, quo in plures diffunditur, eo redundantior manet, et in suum fontem recurrit, in se enim refluit ubertas prudentiæ, et quo pluribus fluxerit, eo exercitius fit omne quod remanet. » Sic Ambrosius.

XV. Quorsum hæc viri ornatissimi? Et ad quem finem, nostra tandem collimat oratio, obvium id utique et facile ex magna academiæ auctoritate summaque doctrinarum cura in republica habenda ad eligendam unicam doctrinæ viam, quam sequamur, derivatur sermo? Id ex Aristotele accipio, ejusque fidissimo interprete S. Thoma: disputat hic in initio libri VIII physicorum, de disciplinarum cura in republica instituenda: « Quod, inquit, legislatori maxime vigilandum sit, circa juvenum disciplinam, nullus utique dubitavit, » ubi S. Thomas: « Magisterium, inquit, est quod bona dispositio, et consuetudo juvenum ad reipublicam instituit, et salvat ipsam. » Verba sunt notanda, instituit, et salvat ipsam. Inchoatio ergo, consummatioque reipublicæ per scholas, disciplinasque formatur, ab illisque tota pendet. Quid autem ex hac assertionem philosophus inferat, paulo inferius aperit: « Quoniam autem unus finis civitati omni manifestum quod et disciplinam unam, et eandem, necessarium esse omnium. » Cui loco lucem efferens S. Thomas sic subdit: « Probat prius quod oportet esse disciplinam, unam intendens rationem hanc: Quorumcumque est unus finis per se, eorum est disciplina una de his quæ ad finem ordinantur, quia ratio rerum quæ sunt ad finem, ex fine sumitur, et quorum est ratio una,

et disciplina una secundum quod hujusmodi: omnium autem viventium in civitate secundum reipublicam unam, est unus finis, puta finis reipublicæ, quare manifestum est quod omnium oportet esse unam et eandem disciplinam de necessitate. » Sic D. Thomas syllogizans nervose more suo et politizans.

XVI. Si ergo de necessitate reipublicæ unam oportet esse omnium disciplinam, peccat utique in reipublicam, ejusque dissolvit fundamenta, unitatemque enervat, et distrahit, qui in disciplina, doctrinaque tradenda, non unitatem observandam putat, sed libertatem diversitatemque præferendam. Videris quanto periculo de unitate doctrinæ non decernitur? Quam nutat scholarum auctoritas, unde fontes derivantur sapientiæ, nisi unitas subsistat disciplinæ? Quid sanctius? Quid reipublicæ utilius quam eruditioni omnium prospicere, quam certam, securamque doctrinæ viam demonstrare, et proponere, pericula præcipitæque vitare, quæ a trita semita declinantibus, et juxta veritatem proprii sensus fluctuantibus, pene ad omnem progressum obvia sunt, et certa?

XVII. Primus: « Discendi ardor (inquit Ambrosius II de virginibus) nobilitas est magistri: » ergo nobilem magistrum eligere, illiusque vestigia sedulo imitari, tam necessarium scholæ, quam in audientibus ardor, desideriumque discendi. Multum interest providere, ac prospicere, qualis primo audientium mentibus instilletur doctrina, cui veritatis indagandæ studio primus animi dedicetur affectus; nam ut bene cecinit Lyricus:

Quo semel est imbuta recens servavit odorem,
Texta diu.

Egregie D. Thomas opusculo de eruditione principis, lib. V, cap. IV: « Ætas hominis, inquit, ex Quintiliano, tunc maxime for-

manda est, cum simulandi nescia est, ac præcipientibus facilius cedit, frangitur enim citius quam corrigatur, qui in pravo induraverit. Joannis ultimo monet bis Dominus ad pascendum agnos, semel monens ad pascendum oves; innuens multum esse intendendum juvenum eruditioni, et morum informationi. » Sic S. Thomas. Si ergo illa ætas maxime est formanda, quando simulandi est nescia, quando præcipientibus facile cedit; ergo non ad hoc dirigenda est, ut pro libito sequatur quod velit, ut doctrinæ addiscendæ ipse non sit arbiter, sed ejus quæ sibi præcipitur venerator, et cultor.

XVIII. Certe si ad cujuscumque ingenii volubilitatem tradi, docerique veritatem videamus, quis inducetur, ut facile præcipientibus cedat, quomodo informabitur ad solidiorem sapientiæ viam, si tam diversæ, dissidentesque ostendantur semitæ quot sunt ingenia, mentesque docentium? Sollicite ergo curandum est, ut eligatur unus, ut talem universo reipublicæ corpori erudiendo sequenda proponatur doctrina, et magister, qualem unusquisque propriis filiis instituendis, educandisque vellet invenire. Quis autem ille sit non difficulter conjicere poterimus ex conditionibus, quæ in eligendo magistro requirendæ sunt, quas summa eruditione divinaque sapientia tradit D. Thomas citato libro V de eruditione principum, capite nono, nec alteri quam ipsi melius convenire constabit? Apponamus ejus verba, quæ multo felicius rem totam, et persuadere, et conficere possunt quam nostra. Sic ergo ait: « In magistro qui eligitur, quinque sunt requirenda; scilicet mens ingeniosa, vita honesta, humilis scientia, eloquentia, docendi peritia. » Mens ingeniosa, ut inter ea quæ doceri possunt, sciat eligere meliora, nec to-